

litera bis, vel ter &c. accipiatur. Sic enim multo plures dictiones fieri possent. Placuit hæc de combinationibus inferere huic loco, quonia mentio facta fuerat combinationum, & a paucis huiusmodi regule explicari solent.

SECUNDAM rationem, qua probatur quaternarius elementorū numerus, sumunt philosophi a leuitate, & grauitate. Omne enim corpus simplex, in quod mixta resoluitur, cuiusmodi est elementum, aut graue existit, aut leue: Si graue, aut graue est simpliciter, vt terra; aut graue secundum quid, vt aqua; Si leue, vel est leue simpliciter, vt ignis; vel leue secundum quid, vt aer. Atq; ita colliguntur quatuor hæc elementa. Dicitur autem Aqua grauis secundum quid, quia licet respectu ignis, & aeris existat grauis, respectu tamen terre quodammodo leuis est, cum terra sit grauior quam aqua: Potius vero dicitur grauis, quā leuis, quonia solum respectu vnus elementi, puta terre, dicitur leuis; At respectu aliorum duorū grauis appellatur, & re ipsa grauitatem in se continet, non autem leuitatem. Pari ratione nuncupatur aer leuis secundum quid, quoniam licet respectu terre, & aque sit leuis, respectu tamen ignis quodammodo grauis existit, cum illo leuior multo sit ignis: Denominatur vero potius leuis, quam grauis, quia respectu vnus duntaxat elementi, videlicet ignis, grauis vocatur; At vero respectu aliorum duorum leuis, & re ipsa continet in se leuitate, minime autem grauitatem, cum semper ad locum sublimem, nisi impediatur, suo motu tendat.

TERTIA ratio desumitur ex moribus localibus simplicibus. Sūt etenim auctore Aristotele in lib. de cælo tres tantum motus locales simplices; Primus fit circa medium, qualis est circularis, qui competit Cælestibus corporibus: 2. est a medio: 3. ad medium, qui duo motus recti existunt. Iam sic. Tot sunt corpora simplicia, que recto motu feruntur, (vt cælu excludamus, quoniam motu recto non agitatur) quot sunt motus recti simplices. Omnis siquidem motus simplex alicui corpori simplici debetur, & e contra omne corpus simplex motu simplici moueri est aptum. Sunt autem quatuor huiusmodi motus, duo scilicet a medio, hoc est a centro mundi, quorum vnus est a medio simpliciter, tribuiturq; igni, qui omnium leuissimus est; alter a medio secundum quid, qui aeri conceditur, cum non sit tam leuis, quam ignis, leuior vero, quā terra, & aqua: Et duo ad medium, siue ad centrum mundi, quorum is,